



Universitätsbibliothek Paderborn

... Pars Difficultatum Propositarum Eximio D. Martino Henrico De Swaen in Universitate Lovaniensi S. T. Doctori

Complectens 1. Justam defensionem adversus Libellum supplicem eximii Domini De Swaen, & eruditissimi Domini Melis. 2. Instaurationem priorum difficultatum cum Libello supplice Alumnorum Collegii Alticollensis ad Exim: suum Præsidem. 3. Æquam & facilem pacis conditionem

Fontaine, Jacques

Coloniæ Agrippinæ, [1692]

§. 2. Concepta de Martino suspicio Jansenismi stabilitur.

urn:nbn:de:hbz:466:1-39122

*Concepta de Martino suspicio Janse-
nismi stabilitur.*

IN quo igitur, inquis, consistit "Doctri-
na, quàm à me teneri, & à SS. PP.
damnatam asseris? An fortè quòd doceam
gratiam per se efficacem, eamque cum
Thomistis vocem & esse censeam Physi-
cam præmotionem? An quod illam ad sin-
gulas actiones undequaque bonas requi-
ram? An quod veras admittam Christi gra-
tias quibus verè, & actualiter resistatur?
An quia præter gratias sufficientes ad posse
quoddam propinquum, requiram insuper
gratiam à se vel ex Deo ipso efficacem,
qua mediante illud posse reducatur in actum,
sive qua mediante bene homo operetur?
An quod doceam semper habere eum effe-
ctum, ad quem obtinendum absolutà vo-
luntate Dei datur? Denique an quia in li-
bero arbitrio sub gratiâ per se efficaci con-
stituto, libertatem admitto quæ includat hæc
tria; indifferentiam scilicet objectivam ju-
dicii ex parte intellectûs, & duo ex parte
voluntatis; nempe immunitatem à coactio-
ne,

„ne, & à necessaria determinatione ad unum?
 „Sive, ut verbis Gonetii utar, spontaneita-
 „tem, & simul actualem voluntatis indiffe-
 „rentiam, seu potentiam ad oppositum?

Non ita arguo Martine, doces gratiam per se efficacem, eamque cum Thomistis vocas & esse censēs præmotionem Physicam & sic de cæteris assertionibus jam enumeratis ergo tenes doctrinam à Summis Pontificibus damnatam. Accipe argumentationem mihi familiarem. Universa doctrina tua optimè conciliatur cum quinque damnatis Propositionibus; nam & Jansenius, licet Propositionum quinque Autor esse convincatur, & in ejus sensu damnatæ sint, ejusmodi locutiones subinde adhibuit, neque ullum alicujus momenti discrimen adferre hæcenus quantumvis provocatus potuisti, neque ullis precibus ulla adversariorum provocatione exprimi tibi potuit vox ulla qua videreris Jansenianum sensum hæreticum averfari.

Imò rationem tergiversationis hanc ultrò reddis *Thesi sæpius citatâ quis non videat periculum imminere non infundatum, si propositiones famosas damnarem in sensu ab Autore intento, ne hinc inferat aliquando R. P. Isaacus de Bruyn, me non meam tantum, sed etiam majorum meorum doctrinam imprudenter damnasse? Ergo non*

es satis perspectæ fidei Theologus, sed de Jansenismo non immeritò suspectus: appello iudicium omnium Catholicorum, an suppositâ veritate antecedentis, quæ partim à me in difficultatibus, partim à Cranebergio in Fraude Articulorum demonstrata est, & si negare ausus fueris, quod te non ausurum certò scio, pluribus deducere paratus sum, appello inquam iudicium omnium Catholicorum, an suppositâ veritate totius antecedentis non sequatur spontè suâ conclusio? Nullum hîc Martine crimen occultum propalo, omnia ex scriptis tuis & Jansenii manifesta sunt.

§. 3.

Tergiversationis Jansenianæ excusatio ineptiæ convincitur.

EGregiam tergiversationis tuæ toties tibi objectæ rationem sic tandem interpretaris: *Quis enim non videat quam facîle cuipiam hisce principiis imbuto quibus imbutus est R.P. Isaacus de Bruyn, hæc, similisve elabatur ratiocinatio: Per Concilii Tridentini Decreta, nec non per constitutiones Summorum Pontificum Innocentii X. & Alexandri VII. damnata est omnis*
gra-